



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

ALBO FLORIACEN. DE VITIS
XIV.

ELEVTHER, natione Græcus, ex patre Habundio, de oppido Nicopoli, sedit annis 15. mens. 3. diebus 2. Hic accepit epistolam à Lucio Britonum rege, ut Christianus efficeretur. Et iterum firmauit, ut nulla esca rationalis & humana à Christianis repudiaretur, maximè fidelibus. Qui sepultus est iuxta corpus B. Petri, 9. Kalend. Iun. Et cessauit Episcopatus dies 15.

XV.

VICTOR, natione Afer, ex patre Felice, sedit annis 15. mensib. 3. dieb. 10. Hic constituit, ut necessitate faciente, ubi inuentus esset gentilis, baptizaretur, & ut à quartadecima Luna primi mentis usque vicesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Qui sepultus est iuxta corpus B. Petri 5. Kalend. Aug. Et cessauit Episcopatus diebus 12.

XVI.

ZEPHIRINVS, natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annis 8. mens. 6. dieb. 3. Hic constituit, ut sub præsentia omnium clericorum, & laicorum fidelium, clericus, leuita, siue sacerdos ordinaretur: & coronam sacratam accipiat presbyter tradendam populo. Qui sepultus est in cimiterio suo, iuxta cimiterium Calixti via Appia, 6. Kalend. Septemb. Et cessauit Episcopatus dies 6.

XVII.

CALLISTVS, natione Romanus, ex patre Domitio, de urbe Rauennatium. Sedit annis 6. mens. 2. dieb. 10. Hic constituit ieiunium die Sabbathi ter in anno fieri. Martyrioq; coronatus, sepultus est in cimiterio Calepodii via Aurelia, millario 3. 3. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus dies 6.

XVIII

VRANVS, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annis 9. mense 1. dieb. 2. Hic sua traditione Valerianum sponsum S. Ceciliæ, & multos alios usque ad martyrium perduxit. Qui confessor factus, sepultus est in cimiterio Prætextati, via Appia, 8. Kalend. Ian. Et cessauit Episcopatus diebus 30.

XIX.